

INCIPIT EPISTOLA DECRETALIS ANNICII PAPAE AD UNIVERSOS GAL- 34v
LIAE EPISCOPOS DE ORDINATIONE ARCHIEPISCOPORUM ET
RELIQUORUM EPISCOPORUM ET CETERIS EORUM CAUSIS.

Annicius universis ecclesiis per Galliae provincias constitutis in domino sa- 1
5 lutem.

Bonorum operum et spiritalium studiorum deum auctorem esse non dubium 2
est, qui bonorum hominum incitat mentes et adiuvat actiones, quod nobis evid-
enter apparuit, cum inter longinqua spatia regionum unum corda vestra senserunt
consilium et, quae desiderabatis responsa, non unius, sed plurimorum epistolae
10 intimarunt.

De ordinationibus vero episcoporum, super quibus nos consulere voluistis, 3
olim in sancti praedecessoris nostri Anacleti quaedam iam decreta repperimus.
Scimus enim beatissimum Iacobum, qui dicebatur Iustus, qui etiam secundum
carnem frater domini nuncupatus est, a Petro, Iacobo et Iohanne apostolis Hiero-
15 solimorum episcopum esse ordinatum. Si autem non minus quam a tribus aposto-
lis tantus vir fuit episcopus ordinatus, patet profecto eos formam instituentem do-
mino tradidisse, non a minus quam a tribus episcopis episcopum ordinari debere.
Sed crescente numero episcoporum, nisi necessitas intervenerit, debent etiam
plures augeri. Id est, si archiepiscopus diem obierit et alter ordinandus archiepi-
20 scopus electus fuerit, omnes eiusdem provinciae episcopi ad sedem metropolim
convenient ut ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autem, ut ipse, qui illis omnibus
praeesse debet, ab omnibus illis eligatur et ordinetur.

Reliqui vero provinciales episcopi, si necesse fuerit, ceteris consentientibus a 4
tribus iussu archiepiscopi consecrari possunt episcopi. Sed melius est, si ipse cum
25 omnibus eum, qui dignus est, elegerit et cuncti pariter sacraverint pontificem. Et
licet istud necessitate cogente concessum sit, illud autem, quod de archiepiscopi
consecratione praeceptum atque praedictum est, id est, ut omnes suffraganei eum
ordinent, nullatenus immutari licet, quia, qui illis praeest, ab omnibus episcopis,
quibus praeest, debet constitui. Sin aliter praesumptum fuerit, viribus carere non
30 dubium est, quia irrita erit eius secus acta ordinatio.

Ipse autem archiepiscopus nihil de eorum causis aut aliis communibus iuxta 5
statuta apostolorum absque cunctorum illorum agat consilio, nec illi, nisi quan-
tum ad proprias parrochias pertinet, sine suo, quoniam tali gaudet concordia altis-
simus et gloriatur in membris suis.

Nulli archiepiscopi primates vocentur nisi illi, qui primas tenent civitates, qua- 6
rum episcopos apostoli et successores apostolorum regulariter patriarchas et pri-
mates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem convertatur, cui ne-
cesse sit propter multitudinem episcoporum primatem constitui. Reliqui vero, qui 35r
alias metropolitanas sedes adepti sunt, non primates, sed metropolitani nomen-
40 tur.

Si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit et sine omnium comprovin- 7
cialium praesentia vel consilio episcoporum aut eorum aut alias causas nisi eas
tantum, quae ad propriam suam pertinent parrochiam, agere aut eos gravare volu-
erit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps praesumere audeat. Si vero

- in corrigibilis eisque inoboediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui omnia episcoporum iudicia terminare praecepta sunt, eius contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, et ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem aut temporis incommoditatem vel itineris asperitatem gravem ad hanc sedem eius causam deferre non posse fuerit, tunc ad eius primatem causa deferatur et penes ipsum huius sanctae sedis auctoritate iudicetur. 45
- 8 Similiter si aliquis episcoporum metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem dioceseos aut apud hanc apostolicam sedem audiatur. 50
- 9 Qui maior est vestrum, secundum dominicam iussionem sit vester minister, et quanto maior es in omnibus, humilia te ipsum. Carissimi, nolite inter vos contendere, nec quaerat aliquis maior esse, sed iuxta apostolum diligite vos invicem, quoniam caritas ex deo est, et omnis, qui diligit, ex deo natus est et cognoscit deum. Qui non diligit, non novit deum, quoniam deus caritas est. Pascite, inquit princeps apostolorum, qui est in vobis, gregem dei providentes non coacte, sed spontanee secundum deum neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregi ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis inmarcescibilem gloriae coronam. Et iuxta alium apostolum: Fratres, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab apostolis domini Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria ambulantes impietatum. Hi sunt, qui segregant semetipsos, spiritum non habentes. Vos autem, carissimi, supraedificantes vosmetipsos sanctissimae vestrae fidei in spiritu sancto orantes ipsos vos in dilectione dei servate, expectantes misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam aeternam. Et eos quidem arguite iudicatos, illos vero salvate de igne rapientes. Aliis autem misere mini in timore odientes eam, quae carnalis est, maculatam tunicam. 55
- 10 Prohibete, fratres, per universas regionum vestrarum ecclesias, ut clerici iuxta apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum sperae radant, quia, sicut discreti debent esse in conversatione, ita et in tonsura et omni habitu discreti debent apparere. 60
- 11 Haec vobis, fratres, ut petistis, custodienda mittimus et custodire praecipimus, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris. 65
- 12 Data VIII Kl. Iunii Gallicano et Rufino cc. cons. 70